

A.K.  
387,1.

(X1883915)

II n  
1731

A. D. O. M.  
De  
**CONRADO SALICO**  
ex historiæ monumentis different,  
PRÆSES  
**M. CASPAR HENRICUS GRAUN.**  
&  
RESPONDENS  
**WOLFGANG FRIDERICUS GRAUN,**  
Strignicenf. Misn.  
*Anno cIz Ic LXXXII. d. 16. Decembris.*  
H. L. C. S.

WITTENBERGÆ,  
Typis Viduæ Augusti Brünningii.





§. I,

**N**imus est, argumentum scribendi sumere ab imperio, & rebus gestis Conradi Saliqui, cuius virtutes, & sapientia, & studium amplificandæ reipublicæ, visa fuerunt digna, in quibus industria nostra aliquem susciperet laborem, & ingenium, infra quidem harum rerum magnitudinem constitutum, vires suas experiretur.

§. II.

Conradus iste in serie Regum Germanorum secundus nominatur, ut ab eo, qui ante Aucupem fuit, scirent homines esse diversum; non illo quidem Imperatore, ut à multis perperam fuit haec tenus creditum, sed Rege. Quomodo neq; Henricum, neq; ex Carolinâ familia Ludovicorum III. & IV. in Cæsarum numero collocandos arbitramur, quando nec nomen Imperatoris, quod haud unum in modum potest explicari, neq; consecratio, cuius item genera cœpimus diversa rectius nuper agnoscere, stabile præbet, & indubitatum hæsitantibus argumentum. *Veluti nos quidem sapienter edociti sumus à DN. Schurzfleischio multæ meritæq; celebritatis Viro, in quem nullum pietatis & studiorum genus, tanto quidem Patrono debitum, usq; quaq; prætermittere nobis licet.*

III.

Neq; est, ut alicui veniat hic in menteim Conradi III. cui & cum Gvelfis, & cum Lothario, intercesserunt odia gravissima, contentionesq; perquam vehementes. Tam longè abest, ut memorandus nunc veniat Rex ille, procreatus à Friderico II. & Manfredi scelere peremptus, cuius filio Conradino, jussu Caroli Andegavensis, crudelem in modum obtruncato, simul exequias ire necesse fuit vetustissimæ Sveviæ Ducum genti, tot rebus fortissimè ac sapienter gestis, ut & Imperio, & Siculorum regnis nobilitatæ. *Th. Fazell. post. dec. Lib. 8. c. 3.*

#### §. IV.

In eo verò permultum est situm, ut aperiatur genus, è quo duxit originem Conradus: ubi si consentientes haberemus monumentorum historie Germanicæ conditores, valde nobis evenir et commodè, neq; esset fortè, de quo conquereremur. Nunc in certis, atq; in diversum abeuntibus veterum auctorum sententiis, quid faciamus alind, nisi ut exposita narrationis serie conquiescamus, haud inviti? quando interponere judicium, in re tām impedita & nullis propemodum fundamentis subnixa, declararet arrogantiam in juvenili conatu prorsus non ferendam, & meritò à doctiorib; us; castigandam. Sunt, qui è primi Conradi prosapia descendisse eu*m* confirmant, & ad fratrem istius Eberhardum hujus originem referunt, pariterq; omnes ex eadem stirpe Conradi, interfecti ab Alberto Bambergensi prodiisse opinantur. Inde verò digrediuntur, & ad generum Ottonis M. se recipiunt multò plures; quos inter, nemo foret, qui non perivaderet sibi, convenire, si & posteros Conradi numerarent modum ad eundem, & appellandos ducerent illos, ratione non diversa. Quomodo quidem pars pronepotem faciunt nostrum illius, ex filio Ottone, nepote Henrico; pars ab nepotem ejusdem, ex Ottone filio, nepote Cunone, pronepote Hermanno, non explicatà simul origine Conradi Sapientis, nisi quod patrem ejus vel Eberhardum nominant, vel Wernerum, ex illustri familia Francica ortum. *Vid. Chron. Peuc. & Henr. Meibom, not. in Paneg. Roswithæ, ubi Cuspinianus cum Wippone, & Hermanno Contracto pugnare ostenditur.*

#### Conradus Sapiens.

||  
Otto.

||  
Henricus.

||  
Conradus Saliqu.

#### V.

Cæterum is Conradus, cui Euidgarda; Ottonis filia nupsit,, & fœcero suo impetravit Lotharingiam, cùm jam ante Dux Wormatiensium esset. Unde facilis est intellectu Frisingensis Lib. 6. cap. 20. Neque implicatum, quod de sapientiæ laude, & Rufi cognomine habet *VVitichindus*, Annal. l. 2. In quem scrip- torem

paorem ita commentatus est *Meibomius*, ut simul ostenderet è *Ditmaro*, quām infeliciter hoc matrimonium Luidgardæ cecidisset, ut quæ interpretarit à maritō, crebrisq; laboribus fatigata. De industria verò prætermittimus conjurationem in sacerum, & siquid videtur, cùm in loco magis oportuno, tūm graviori de causa, forsitan memorandum.

### §. VI.

Quanto magis æquum est, ut in Saliqui nomen intueamur, & periculum faciamus, an Francicum Cæsaris nostri sanguinem inde possimus argumentis non dubiis adstruere? Jam diu enim summi viri hoc sibi ostendendum sumserunt, Francos è Sicambria, non Trojanorum quidem, ut communiscitur Turonensis, sed Bataviam transrhennana, in regiones cis flumenas pervenisse; nec eò minus in solum barbaricum, quod Sala & Mœnus rigant, postquam Burgundiones inde in Germaniam I. discesserant, commigrasse, imperiumq; suum iis in locis stabillisse. Quod permultum habere ponderis, in disceptatione super illo nomine instituta, præsertim quando de universa Francorum gente queritur, supervacuum est prolixius demonstrare. *Vid. Hist. Burgund. Schurzfl. V. 3. Not.*

### §. VII.

Nec à Francis modo dicitur geuus Conradi, ut in re manifesta minus esse solet dubitationis, sed in quantum habetur materni sanguinis ratio, inde ab ultimis arcessi planum est illorum regibus, dum & Clodovæus nominatur, & mentio fit illorum, qui à Sancto Remigio secundum Christianæ multitudinis legem sunt abluti, *vid. Frisingens. p. 132. edit. Ulstis. Chron. Viterbiens. p. 484. Sifridus Presbyter. p. 690. ex recens. Pistor.* Verum ut istis plane expediendis curam nobis & cogitationem nullam duximus esse suscipiendam, ita proprius abesse sentimus à præsenti negotio, qui matrem faciunt Adelam, Gerardi Metensium Comitis filiam. *Diterich. in Conrad. Salie.*

### VIII.

Nomen Augustum, cum Germaniæ Regis dignitate conjunctum, primus intulit in familiam suam Conradus, postquam convocato Principum consilio, publica Cæsaris Henrici vox integratatis, pietatis, & invicti animi roboris testimonium ipsi perhibuit. Quod haud dubiè vehementer permovit animos Procerum,

ut alacriter illum susciperent, & Imperatoris fato propinquū iudicium suffragiis suis comprobarent. Quanquam non defuerit quibusdam impediendi consilium & nisus, idque præcipue Cunoni permolestum acciderit, qui potentia, & opibus, & auctoritate reliquos antecedebat propè universos, neque poterat ab animo suo impetrare, ut Conrado fortunam illam von invidenter. *Vid. Wippo, quo nemo gravius electionem hanc descripsit, Vit. Conrad. H. Mutius, p. 110.* Viterbiensis ridiculam rem narrat, & Auctor est, à reliquis interrogatum Cunonem ludibrii causa hunc nominasse, quum nunquam crederet illud futurum, quod non absque gravi dolore posteà necesse fuit eum persentiscere, dum Principes repentina consilio nomen auditum complectuntur, & ambitionem hominis cupidissimi intervertunt. *p. 487. Cron.*

#### IX.

Ex eo igitur, quod studiorum & sententiarum consensio non potuit confessim haberi, interpretari licet interregnum, à Cuspiniano & Wimphelingio proditum. Quod tamen paulò aliter explicat *Citicensis Chronicī Auctor, p. 777.* dum & annum XXV. & XXVII. istius seculi, quo imperavit Conradus, tanquam primum signari affirmat, à diversum sentientibus. Quos equidem si velit sibi aliquis sumere conciliandos, ei permultum afferre ad rem ejusmodi sum perswasus, quod luculenter est prescriptum à quamplurimis, confirmasse Principes regnum Conrado à discessu Henrici ex hac vita, licet Augustum nomen, & consecratio, Romæ demum, Anno XXVII. solemni ceremonia in eum collata fuerint. Quò pertinet Imperatoris Diploma, *in Hist. Landgr. Thuring. p. 913. Marian. Scot. p. 449. Sigebert. p. 594.*

#### X.

Alias me non fugit, una opera Germanos & Reges sibi dare, & Imperatores Christianæ Reipublicæ consuevisse, postquam virtute Ottonis M. factum est, ut Imperium Romanum æterno fœdere cum regno Germaniæ esset conjunctum. Quanquam utriusque fines, & jura, & rationes invicem non permutarentur, sed integra manerent prorsus, ac salva, & inaugratio simul haberetur distincta. Quod vel nostri Imperatoris exemplum, si fidem alias facere non potuissimus, idoneè demonstrat, ut qui prius ab Antistite Moguntine consecratus, insecuto tempore Romam perrexit,

ut aliam ob causam idem sibi officium à Præsule Romano imperti-  
retur. *Penuer. Chron.* Suffragiis Principum eò magis opus erat  
ad conciliandam imperatoriam dignitatem Conrado, quòd è fa-  
milia Saxonum haud superesset, cui moles tanta imponeretur; ut  
fraudi esse non debeat successioni hæreditariæ, quam demum in  
Henrico V. cum jure electionis commutatam planè fuisse, didici è  
*Dissertatione*, ductu & auctoritate Praeceptoris mei, *Celeberrimi Schurtzleischii*, Anno M DCLXXV. de Henrico Leone instituta.  
Usum esse verò Conradum quodammodo jure suo, dum Italiam pe-  
tens, antequam patriæ finibus excederet, filium renunciari succes-  
sorem curavit, illud indicio est, quòd Patris exemplum secutus, abs-  
que molestiis idem perfecit Henricus, quamvis non diffiteamur,  
etiam tum per necessarium fuisse Principum consensum, & horum  
auctoritate succedendi jus quodammodo temperatum fuisse, usque-  
dum prorsus illud extingueretur, & liberum his esset, quem vel-  
lent Imperio Romano-Germanorum praeficere. *Vid. antiqui scripto-*  
*res prius allegati, quorum testimonii designatio Cæsaris comprobatur.*

#### XI.

Romam eunti præsto fuerunt non modò magni exercitus, sed  
etiam præpotentes Reges Cimbrorum & Burgundionum, hic a-  
vunculus Giselæ, alter officiis & necessitudine conjunctus, quem  
*Frisingensis*, & *Gothofredus Viterbiensis*, Anglis imperitasse tradunt;  
neque uno quidem nomine appellant. Et quamvis multitudine  
gaudium suum testante, solemnia dignitatis augustæ per Pontisi-  
cem Joannem Conrado fuerunt oblata, minus dinturna tamen po-  
puli voluntas repente prodiit odium in Getmanos, quos ad inter-  
nacionem delere constituerant, nisi præsenti animo, & incredibili  
virtute fuissent repressi, tantoque periculo depulso, Cæsar incolu-  
mem reduxisset exercitum. *Sigebert. l. c.*

#### XII.

Ex Italia reversus pristinam seditionem denuò robur & vires  
sumisse animadvertisit, dñm privignus Ernestus, qui Cunoni prius  
auxilium tulerat, nihil non molitur adversus vitrum suum, &  
consilio Wernerii Comitis locum relinquit, & fortitudine militum  
Suevorum, nobiliumque quorundam amicitia confisus, finitos  
imperi subditos diripit, & quædam non satis munita in potestatem  
suam redigit. Unde arma fuerunt corripienda Imperatori no-  
stro,

stro, cui facilem dedit victoriam populi Suevici voluntas erga Dominum suum, & hostilium copiarum vires exiguae; quibus rebus factum est, ut turbulentus & improbus Dux, more ferarum cogatur per lustra, & nemorum solitudines vagari, tandemque miserum in modum circumventus arque conclusus interficeretur. *Fris. sing. l. c. H. Mut. p. ii.*

### XIII.

Quamprimum verò se domesticis negotiis expedivit, exterarum gentium voluntates circumspicere cœpit, & quomodo erga Imperium forent animati, exquisivit, & summis viribus enixus est, ne præter fas & æquitatem, in orbe terrarum, quicquam suscipetur aut eveniret. Itaque Stephanum Hungariæ Regem bello persecutus, ad saniora consilia flexit, eoque adegit, ut opera legatorum honestis conditioribus pacem confici pateretur. quem alias matrimonium cum sorore Henrici S. contractum, & fides Christiana ab his initiis consecuta, ad omnem posteritatis memoriam nobilitavit. *Hermannus Contract. p. 136. Schafnaburgens. p. 159. Mar. Scotus, p. 450.* Hungaros Sclavorum societate & copiis roboratos, in itinere versus Italiam, quam armis contra Imperatorem defendere parabant, profligatos & concisos esse, memorat *Auctor Chron. German. p. 112.* & stomachatur valde, præstantissimi facti memoriam adeo indiligerter conservatam & proditam fuisse. Sclavorum quidem, ut & Luiticorum, quos Luticos alias nominari, & pro Lusatiis, aut Wilzis haberi, compertum est nobis, mentionem faciunt vetustiores pariter atque recentes, Cæsarisque Conradi armis impetitos, & ad imperata facienda perpulsos fuisse, testantur verborum sententiis haud obscuris. Etsi nobis quidem exploratum non sit, quid de isto capite in universum sit pronunciandum, & quibus argumentorum indiciis verior certiorque gestorum narratio constare hominibus possit.

### XIV.

His rebus ex amini sententia confessis, Polonos sibi comprehendendos esse duxit Conradus, quorum Princeps Bogeslaus, rupta fide, quam Henrico dederat, suas sibi rationes ab Imperio divisas esse volebat, & regium nomen spreta Cæsarise auctoritate sumebat, & tributum, quod ex pacto debebat, pendere recusabat. Neque melior animus filii Misiconis, in defuncti Parentis locum suffecti,

qui

qui ad perfidia scelus impietatem iugens, fratrem Ottone m̄ p̄ pulit regno, & à nulla parte injuriæ sibi temperavit. Unde Cæsar valde commotus, infestis copiis irrupit in Poloniā, hostemque repentina impressione usq; eō perterrefecit, ut omni spe abjecta, reciperet se in Bohemiā, ad Ulricum, seu Waldrichum, in cuius fide misero exilio suo præsidium aliquod paratum esse putabat. Falso ille quidem; nam proditor sceleratus, contemta illa necessitudine, quæ etiam apud barbaros homines multum semper valuit, & sancta fuit habita, exulem Ducem Imperatori se velle dederet vincitum, per literas significavit. Quam improbitatem adeò detestatus est Conradus ut Misiconem commonefaceret, quò caveret sibi à tām crudeli hospite, cuius epistolam unā mittebat, ne qua Fortè dubitatio illi relinqueretur. Exulvidens, à Cæsarī clementia plus esse spētandum, quām à fide Principis Boernorum, quæ tum quidem nulla erat, insidias & periculum cautè declinavit, perveniensque ad Imperatorem, & supplex factus hoc impetravit, ut & suæ sibi constarent facultates, & Imperio sua dignitas, & fratri jus quæsitum, odiis posteā sublati, quæ inter propinquos acriter fervent, & perquam difficilia solent esse compositū. Quis verò, cùm hæc legit, Conradi virtutem non ad cœlum ferret, & illi debitas impertiretur laudes? quæ tanta fuit, ut ulciscendi studium fidei nolle anteponere, & nihilo secius operam daret, ne quid committeret, quod fraudi esset supremæ dignitati suæ. Fuit enim haud dubiè tanta adhuc Imperatorum Germaniæ potentia, ut vicinis Regibus formidabilis esset, & ut cæteri Imperatorem, tanquam summum Monarcham Orbis Christiani agnoscerent, ac venerarentur. *Gothofred. Viterbiens. Frisingens. Peucer.*

### §. XV.

Quare Conradus ubi eum semel incesit cupidō recuperandi pristinum Imperii splendorem, ab illo tempore conquiescere nequit, amplificandæq; ditionis suæ consilium, quod Burgundici Regis voluntas suppeditaverat, omittendum non ratus, tanta illud constantia perfecit, ut Germanorum opes non mediocriter accessione finitimi regni adaugerentur, neq; illorum conatus, qui contra audebant, magnopere essent in posterum pertimescendi. Fuerunt quidem Burgundiones priscis temporibus, quibus in Germa-

niā I. cis Rhenum commorabantur, sub imperio Regum suorum; quos & posteā, cūm in Sequanis, apud Ararim Rhodanumq; conſent, ex aliā fortē, quam Gundicarii stirpe, retinuerunt. Verū ut ad Merovingos deuenit, quicquid inſoleſens animus potuit unquam concupiscere; ne hi quidem propulsandis hostium armis pa- res, Francicum jugum cervicibus suis inviti receperunt, similiq; for- tuna Carolinæ familiæ potestatem coacti demum fuerunt in ſe agnoscere. Spes erat, fore diuturnum eorum in hos quidem impe- rium; at perfidia Bosonis, & procerum Burgundiæ voluntas, ere- xit regnum Arelatense; è quo denuō Rudolfi consiliis novum emer- fit Juranum, illud ipsum certè, quod fiduciario jure prius obnoxi- um Germaniæ, nunc ad Conradum hæredis titulo pervenit, forti- terq; ab hostili ambitione ac violentia eſt vindicatum. *Vid. Schurzfl. Histor. Burgund.*

### §. XVI.

Interpellare quidem Cæſaris fortunam ausus, Otto Campa- niensis, quem alii Celticum, Belgiciq; Præſidem vocant; sed parum felici ſuccetu. Quando ipſe non ſemel hominis audaciam ferro & flammis compressit, inq; tantas eum compulit angustias, ut vim ſupplex deprecaretur, & interpoſita ſacramenti fide, nemo putaret ad arma denuo venturum. Ubi verò neq; finis turbarum, neque modius animi lididinis in efferato ac furioso Principe, Gothelo, re- centi Imperatoris beneficio, Mosellana ditione auctus, hostem fe- rocius iuſtantem Lotharingiæ, magnis viribus aggreditur, & acer- timè conſigens, unā cum promiscua multitudine proſternit, & Conrado abſenti hujus tam præclaræ victoriæ, per nuncios, & ſigna erepta, fidem facit. *Hermann. p. 137. Sigebert. pag. 595. Viterb. p. 486. Frisingenſ. p. 133. & 134.* cui Burgundia Galliæ Lugdunensis nomine dicitur, Gotheloq; Belgarum Dux audit. Eſt profeſtò in his omni- bus per ampla, & gravis admodum diſferendi materia, cum de Re- gni Arelatensis poſſeſſione, quæ etiamnum Germanis vendicatur; tum de Mosellano. & inferioris Lotharingiæ ducatu, itemq; de Bel- garum, Celticiq; nominis ratione: quæ neq; ab aliis fuerunt præ- termiſſa, neq; à nobis debent commemorari, tanquam rerum ne- ceſſariarum copia male instructis, ſpatioq; ſchedarum in ſimul ferè interclusis.

### §. XVII.

### §. XVII.

Dum hæc verò in Germaniæ finibus ita geruntur, Cæsar Ita-  
lorum amoliendæ seditioni vehementer incumbit, regnumq; Ot-  
tonis M. consiliis, & fortitudine partum, imperata facere cogit, &  
Antistites quosdam Langobardorum, conjurationis Principes, in  
vincula conjicit, vel exilio multat, omnemq; Italiam citeriorem,  
prospero destinatorum eventu, ad obsequium & fidem rursus; in-  
ducit. Deinde superato Apennino, cùm reficiendi sni causa, tum  
Normannorum & Græcorum dissidia componendi animo, Apuliam  
ingreditur, & Capuam Beneventumq; perlustrat, & per Adriatici  
maris oram, solutus cura & solicitudine vagatur, iterq; prorsus ex  
voto & sententia perducit ad finem, nisi quod amicorum quorun-  
dam, & propinquorum, virulenti aëris afflatu, facheret jacturam.  
*Vid. cum saepe memoratis, H. Mutius p. 112. Siffridus, pag. 690. qui cum  
Gemblacensi tempestatem narrat, solemnia inaugurationis Medio-  
lanensis comitantem, & periculi terrorumq; plenam.*

### §. XVIII

His laboribus & molestiis perfunctus, componere se voluit  
ad quietem, quam lacessere aut interturbare neminem facile ausu-  
rum perspiciebat: igitur amœnitates otii consecutus, variis mo-  
dis oblectare animum suum cogitabat, nisi morbi supervenientis vi  
prostratus atq; confectus, illo tempore posuisset vitam, qvod fru-  
ctuum capiendorum dignitatis ac splendoris augusti initium erat  
futurum. Antequam verò dies fati illucesceret, Ludovicum Bar-  
batum, vicariâ potestate Thuringiæ prius impositum, amplissimis  
honoribus, opulentisq; fundis auxit, & sanguinis non minus, qvam  
fortunæ istius rationem habuit, & collapsam propemodum, vehe-  
menterq; afflictam hujus familiæ dignitatem de integro instauravit.  
*Cron. Citiz. p. 771. Histor. de Landgraviis Thuring. p. 913. Autor An-  
nal. breviorum de Landgr. Thuringiæ, p. 957. Exhalasse animam Tra-  
jecti, paulò ante Nonas Junii M XXXIX. indicium faciunt pleriq;  
qvos haec tenus recensuimus, exuviasq; defuncti Imperatoris in urbe  
Nemetum, tumulo fuisse illatas, luculentis pariter testimoniis con-  
firmant, qvum ille quidem templum eo consilio non exiguis anteà  
struxisset sumtibus, in quo Cæsarum ossa, tanquam in sacro aliquo  
Mauso-*

Maufolæo, post solutam illam compagem, rite componerentur.  
*Lambert. Marian. l. c.*

§. XIX.

Conjux Gisela, ab origine ultimâ stirpis Carolinæ generata, tribus ordine perhibetur nupsisse maritis; in qua quidem narratio- ne si veritas inest, & fides, jam non debet alicui mirabile videri, quod pars Brunoni, Ludolphi Saxonæ Marchionis filio, pars Ernesto aut Arnulpho, Svevorum Duci, antequam Conradus sibi illam expete- ret, matrimonio junctam fuisse prescribunt, quorum nullus fuit, quia non liberos ex illa susciperet, quum Saxoni quidem Ludolphum, Svevo Ernestum & Hermannum, Conrado Henricum, augustæ vir- tutis ac dignitatis hæredem, fœcunda mater filios ordine peperisset. *Vid. Chron. Viterb. p. 435. Henr. Meibom. in Panegyric. Rosvithæ, Peucer.* Fuisse tradunt ingenio perliberali, & supra quād dici po- test, solerti, avidam gloriæ, nec incertas laudes consequantem, podo- ris perquam studiosam, fœmineis operis assidue occupatam, teme- rē profundere sua non facile solitam, alias beneficam satis, & commodè largiendi similiter peritam; in quo neq; facultas illi, neq; occasio & auctoritas unquam deesse potuit, cum & prædiis abun- daret per amplis & fructuosis, & in summa fortuna, quid se par esset facere, diligenter consideraret, recteq; prorsus assequeretur. *VVippe in vita Conradi.*

XX.

Italorum fabulas de Henrici parentibus & fato, sapienter co- arguit *Monachus Bozariensis*, & commentum *Vincentii Galli Martini, Jacobi de Voragine, Antonii, ac reliquorum*, cum tempo- rum indicio, & ratione non dubia, tum auctoritate *Frisingensis, Nau- cleri, & Joannis Trithemii*, quo usus est magistro, perstudiosè refel- lit. Tradunt enim homines isti, Leopoldum quendam, iram Cæ- faris pertimescentem, cum gravida conjugé, in tugurio nemoris Hercinii delitusse, quòd cum delatus esset Conradus è venatione, nocte intempestâ & edictum fuisse illum, & Imperatorem voce au- ditæ perterfactum cædem pueri jussisse, quam perficere satellites misericordiâ commoti noluerunt, & cor lepusculi, infantis esse comminiscentes, ad Dominum suum retulerunt. Cætera istius fortu-

fortunæ simili persuatione deceptus exponit Presbyter Misenensis,  
& cum Rolevincio, & cum cæteris, plane cœnsentiens, qui tamen  
nec ipsi sui satis memores quem generum Cæsar is dixerant, sub-  
inde filium è Gisela uxore appellant. Usq; adeò male sibi constant,  
quæ ex ingenio suo fingunt mortales, sive ipsi animum inducere non  
possunt, ut aliter credant, sive mirabilem rerum eventu mirifice  
delectantur, posterosq; voluptatis istius unâ participes facere cupi-  
unt. Vid. Lang. Cronic. p. 772. Sifrid. p. 690. Viterbiens. p. 487. Role-  
vinc. p. 72.

XXI.

Fuit autem Conradus Salicus inter præstantissimos ævorum  
omnium Imperatores jure semper habitus, quod in eo eluceferet,  
cum pietas in supremum Numen usqueq; memorabilis, tum ani-  
mus in populum Christianum singularis, & clementia summa, stu-  
diumq; benefaciendi incredibile. Quas ille quidem virtutes ita sibi  
retinendas esse duxit, ut avitam libertatem haud pateretur conta-  
minari, neq; veteris generi suo labem inferri, aut dedecus aspergi  
sangvine isto indignum, sed ut magnam adhiberet constantiam in  
negotiis universis, neq; minus in rebus gerendis promptus, quam  
excogitandis, consilia celeriter reperta, ad usum conferret, & manu  
insuper comprobaret, & fortitudinis opinionem cum prudentiae  
laude feliciter conjungeret. Eamq; ipsam non mediocriter fuisse  
auctam, compertum habemus, quod disertus haberetur illâ ætate,  
& publici privatiq; juris, rerumq; divinarum pariter & humanarum  
insigniter peritus, ac pene omnibus ad Imperatorium fastigium ne-  
cessariis idoneè instructus. Adhæc reipublicæ sibi commissæ digni-  
tatem & salutem nullo tempore neglexit, ejusq; facultates amplifi-  
cavit, & vehementer auxit, veterem ditionem stabilivit & confirma-  
vit, recentes possessiones, haud injusta causa & modo acquisitas re-  
tinuit, fortissimeq; defendit, hostium conatus represit, & injurias  
vindicavit, Robertumq; in primis, Francorum regem, ab invadenda  
Lotharingiâ deterruit, & per orbem terrarum magnam auctorita-  
tem sibi compararit. Vid. Gothofred. p. 486. Sigebert. p. 593. Chron.  
Citicens. p. 771. Frisingens. p. 132,

B 3

XXII.



Hic igitur ex rebus, inducimur ut credamus, Cæsarem nostrum omnibus visum fuisse bonum & magnum, neq; solum apud benevolos & faventes multum valuisse ipsius virtutem, sed inimicis quoq; & invidis amplissimum veræ laudis testimonium, raramq; īdolis & vitæ commendationem expressisse. Unde posteā sumserunt scriptores insecuri temporis, quæ proderent posterorum memoriæ, & gloriæ demum sempiternæ commendarent; qvum suæ qvidem diligentiaē minus arbitrarentur convenire, interpretandis levioribus argumentis nulli supersedere labori aut studio; & de Principis augusti, ac per orbem qvidem Christianum haud dubiè surami, fortuna, meritis, atq; operibus mittere loqui, & consilio planè reprehendendo penitus tandem conticescere.

*Soli Deo Gloria.*



Dam





**D**um queritur Phœbus, dum flent sua vulnera Musæ,  
Omnis & est passis conspicienda comis,  
Nata Jovis cerebro Pallas, Dea maxima, tales  
Edidit aurato protinus ore sonos :  
Non ego Sicelides patiar lugere puellas,  
Non ego Leucadiæ sum minus æqua lyræ.  
Castra vocant matrem, sed enim pia prælia menti,  
Quæq; calent nervis ingeniosa suis.  
Arma truci populo, fateor, viresq; ministro,  
Turba sed auxilium sentit & illa meum.  
Illa meos clypeos, galeam, cristasq; superbas,  
Illa meas hastas, telaq; cuncta videt.  
Nec moveor magnis æquè, mihi crede, triumphis,  
Quàm quod Apollinea semper ab arte fero.  
Dixerat: Albiacis fervent certamina lymphis,  
Acrius & multò, quàm, ruit, ante manus.  
Nec potior Rheno sinuoso, & fluctibus Istri  
Cura, nec Alpinis, Euganeoq; solo.  
Dum celer audacem Sophie ciet arte juventam,  
Et simul in numero te cupit esse suo.  
Nulla mora est, sequeris Divam, Germane, vocantem,  
Signaq; militiæ das benè multa tuæ.  
Certus & interea pretium non vile laboris  
Suspicias, Aoniò serta parata jugo,  
Pulchrius & generis decus, inflammataq; fratum  
Pectora: non nobis inficiandus eris.

*festinab.*

P R A E S E S.

QKTh 1731

**U**mra placet timidus; fortes odere tenebras,  
Nec male fert nitidam mens gene rosa diem.  
**P**rima sed exiliens a clém per nubila condit,  
Et proprius celso vult celer esse polo.  
**N**on aliter, quām si volucrum regina per auras  
Tollitur, & soboles dulce feruntur onus,  
**C**ernat ut auratos facies adsueta colores,  
Atq; obeant partes lumina firma suas.  
**F**allimur? an tibi sunt invisa crepuscula noctis?  
An quoq; tu soles jam bene ferre potes?  
**E**t potis es, fortisq; ruis certamen adire,  
Perge modo, ex illo pulvere clarus eris.

**Benjamin Graun.**



PRÆSES

1012

nc

